

DE *DIALOGIS SACRIS* SEBASTIANI CASTALIONIS: QUOMODO PUERI AD LINGUAM
LATINAM ET AD CHRISTIANAS VIRTUTES INFORMARI POSSINT

Inter multos libros Latinorum colloquiorum, qui cursu temporum sunt exarati, de quibus sodales Academiae Latinitati Fovendae hoc anno invitati sunt ut orationes haberent, *Dialogos sacros* Sebastiani Castalionis elegi, evangelici Francogallici humanistae saeculi XVI, qui pro aliorum de rebus divinis opinionum defensione animose strenueque propugnavit.

Vita eius summatim narrata, primum de usu colloquiorum scholasticorum praesertim aetate qua litterae renatae sunt verba faciam; deinde *Dialogos sacros* aggrediar quos, quamvis carptim breviterque, in aliorum colloquiorum saeculi XVI et Castalionis theologiae disciplinae conexu considerabo; postremo nonnulla exempla e primo libro excerpta proponam.

Sebastianus Castalio¹ natus est humili loco in Sabaudia (in vico cui nomen vernaculum est Saint-Martin-du Fresne) anno 1515. In Universitate Lugdunensi linguam Latinam, Graecam, Iudaicam, theologiam didicit. Anno 1540 cum tres protestantes combusti sunt, protestantem se professus, Argentoratum petivit quo Calvinus, Geneva expulsus, confugerat. Anno autem insequenti Calvinum Genevam redeuntem secutus est, qui eius scientiam theologiam magni aestimans rectorem collegii (de Rive) nominavit ubi discipuli, futuri sacri oratores, ut Litteras Sanctas legere possent, linguas classicas discere debebant. Interea, cum uxorem duxisset et collegii magistri merces non sufficeret, petivit ut ordines sacri sibi conferrentur. Sed Calvinus, theologis dissensionibus (in primis Castalio *Canticum Cantorum* librum divino spiritu instinctum non esse, sed tantum textum amatorium censebat), recusavit.

Tum anno 1544 Basileam domicilium transtulit, ubi, ut se et familiam suam sustentaret, artes sordidiores exercere coactus, etiam Oporini typographi, operum suorum futuri editoris, plagularum emendator est factus. Tandem anno 1552 magistri munus litterarum Graecarum in Studiorum Universitate obtinuit. Postero anno cum Michael Servetus, Hispanicus medicus, qui contra doctrinam Trinitatis se professus erat, Genevae vivus combustus est, Basileae, ubi Erasmus vixerat et sepultus erat et vivebant Caelius Secundus Curio et Bernardinus Ochinus, Italici perfugae, nec non alieno nomine David Jorius Nederlandicus anabaptista, irritatio fuit maxima.² Contra Calvinum, qui Serveti rogam opusculo c. t. *Defensio orthodoxae fidei* probaverat, Castalio falso nomine Martini Bellii corpus auctorum antiquorum et modernorum *De haereticis an sint persequendi* vulgavit; dura controversia statim oritur in qua etiam Theodorus Beza, humanista, theologus et Calvinus adiutor scripto *De haereticis a civili magistratu puniendis* obstat, quem Castalio anno 1556 libello *De haereticis a civili magistratu non puniendis* redarguit. Nunc a Calvino alienatio est completa, ut scriptum *Contra libellum Calvinii*³ docet, quo Castalio praedestinationis doctrinam quoque reicit.

Illis temporibus, quibus in Europa religionis causa vehementia sunt certamina, anno 1559 Elisabetham, Britanniae reginam recenter creatam, Castalio hortatur ne vi utatur, cum de rebus religiosis agatur; tum anno insequenti, bello inter catholicos et protestantes foede dureque saeviente *Consilium Francogalliae maerore confectae*⁴ scribit quo, ut duae ecclesiae catholica et evangelica

¹ Quod attinet ad Castalionis vitam et eius libros maximi momenti manet opus c.t. *Sébastien Castellion. Sa vie et son oeuvre (1515-1563). Étude sur les origines du Protestantisme libéral français* par FERDINAND BUISSON, Tome I et II, Paris, Hachette, 1892.

² Cfr. SEBASTIANO CASTELLIONE, *Fede, dubbio e tolleranza*. Pagine scelte e tradotte da Giorgio Radetti, Firenze, La Nuova Italia Editrice, 1960, pp. 1-33 et MASSIMO FIRPO, *Il problema della tolleranza religiosa nell'età moderna dalla riforma protestante a Locke*, Torino, Loescher, 1978, Cap. II *Eresia e tolleranza. Il dibattito sul rogo di Michele Serveto*, pp. 85-136.

³ Hoc scriptum tantum anno 1612 vulgatum est.

⁴ *Conseil à la France désolée*.

simul sint, proponit.⁵ Italicis autem per fugis proximus (Opera Bernardini Ochini in Latinum transfert, Faustus Sozzinius eius *Quattuor dialogis de praedestinatione, de electione, de libero arbitrio, de fide praefatur*), magis magisque ab orbe protestantium seiunctus, certaminibus fessus lassusque, fortasse in Poloniam confugere in animo habet, sed, gravi stomachi morbo affectus, nondum quinquagenarius anno 1563 morte corripitur.

Dialogi sacri, colloquia ad linguam Latinam ut vivam discendam, sunt pars antiquissimae consuetudinis, quam nunc quamvis celeriter perstringere velim.⁶ Conversatio autem cottidiana, quae dicitur, quoad aetatem classicam in illo opere ad linguam Graecam percipiendam exempli gratia continetur c. t. *Hermeneumata pseudo-Dositheana* (saec. II post Chr. n.); quoad mediam aetatem in studiorum ratione Aelfrici, Anglici monachi Benedectini saeculi X-XI, et Batae discipuli eius invenitur. Sed aetas colloquiorum aurea, ut ita dicam, qua innumera eius generis scripta oriuntur est aetas renatarum litterarum. Nam humanistae audax propositum in mente habent, ad totam Europam pertinens, id est in locum Latini barbari mediae aetatis Latinum verum antiquorum scriptorum substituere, brevi tempore discendum ut sine difficultatibus discipuli Latine loqui et scribere possint et textus antiquos intelligere. Quod clare planeque Erasmus affirmavit:

Ut huiusmodi praecepta [id est grammaticae Graecae et Latinae] fateor necessaria, ita velim esse, quantum fieri possit, quam paucissima, modo sint optima. Nec unquam probavi litteratorum vulgus, qui pueris in his inculcandis complures annos remorantur. Nam vera emendate loquendi facultas optime paratur, cum ex castigate loquentium colloquio convictuque, tum ex eloquentium auctorum assidua lectione.⁷

Itaque colloquia⁸ ad hoc consilium ineundum aptissima esse videntur, quibus vocabula et grammatica iucunde festiveque usu continuo perdiscuntur.

Castalio discipulis suis *Dialogos sacros* componere incipit cum in collegio Genavensi magister est; itaque anno 1542 primum librum publicat, anno postero libri secundus et tertius, anno 1545 liber quartus sequuntur. Opus anno 1562 completur argumentis et sententiis adiunctis.⁹

Dialogi sacri post clarissima colloquia saeculi XVI prodeunt, id est *Paedologiam* Mosellani (anno 1517), *Colloquia* Erasmi (annis 1518-1522), *Linguae Latinae exercitationem Vivis* (anno 1539). Propositum eius est Linguam latinam et simul virtutes Christianas docere, quod in primis apud protestantes invenimus. Quae postulatio maturescit postquam Johannem Sturm clarissimum

⁵ Cfr. GUY BEDOUELLE, *Castellion ou Chatellon Sébastien (1515-1563)*, in *Centuriae Latinae II Cent une figures humanistes de la Renaissance aux Lumières*. A la mémoire de Marie Madeleine De la Garanderie, Librairie Droz, Genève, 2006, pp.2003-2009: 203.

⁶ De hac re docte sciteque Aloisius Miraglia tractat scripto quo doctoris philologiae classicae dignitatem adeptus est (LUIGI MIRAGLIA, *Materiali per una storia della didattica delle lingue classiche (III-XVIII sec. d. Cr)* anno accademico 2005-2006 (Dottorato di ricerca in filologia classica).

⁷ DESIDERIUS ERASMUS ROTERODAMUS, *De ratione studii ac legendi interpretandique auctores*, édité par JEAN-CLAUDE MARGOLIN, in *Opera omnia Desideri Erasmi Roterodami recognita et adnotatione critica instructa notisque illustrata*, Ordinis Primi Tomus Secundus, MCMLXXI, North-Holland Publishing Company, Amsterdam, p. 115.

⁸ De colloquiis multi homines docti, cum de humanistica institutione tractaverunt, mentionem fecerunt; inter eos qui scriptis suis argumentum praecipuum aggressi sunt, praeter Aloisium Miraglia iam memoratum vide *Die lateinischen Schülersprache der Humanisten. Quellen für Schul- und Universitätsgeschichte des 15. und 16. Jahrhunderts von Dr. A. BÖMER*, Berlin, J. Harrwitz Nachfolger, 1897; MARCELLE DERWA, *Un aspect du colloque scolaire humaniste: le dialogue à variations*, «Revue de littérature comparée», Avril-Juin 1974, pp. 190-202; FRANZ BIERLAIRE, *Colloqui di scuola e educazione infantile nel XVI secolo*, in *Storia dell'infanzia dall'antichità al Seicento*, a cura di Egle Becchi e Dominique Julia, Roma - Bari, Laterza, 1997, pp. 204-230; BARBARA MAHLMANN, *Catholic and protestant textbooks in elementary latin conversation. Manuals of religious combat or guide to avoiding conflict?* in *Scholarly Knowledge. Textbooks in early modern Europe*, Edited by EMILIO CAMPI, SIMONE DE ANGELIS, ANJA SILVIA GOEING AND ANTONY T. GRAFTON, Genève, Librairie Droz, 2008, pp. 341-390.

⁹ Cfr. FERDINAND BUISSON, *op. mem.*, I, pp. 153-154.

paedagogum novatorem¹⁰ Argentorati congressus est et Maturinum Corderium,¹¹ qui ante eum magister in collegio Ganavensi fuerat, novit.

Praeterea *Fratres vitae communis* non sunt obliviscendi, renovationis saeculi XIV Nederlandicus spiritus motus,¹² qui primas partes cultui et institutioni tribuebat,¹³ a quo *devotio moderna* et *docta pietas*, quae dicuntur, ortae sunt, quae omnia non solum in protestantes, sed etiam in catholicos et Erasmum magnum momentum habuerunt.

Artis educandi impetus et spiritus fervor Castalionem inducunt ut antecessores suos transgrediatur: nam colloquiorum argumenta non iam ad condiciones vitae cotidiana maxime scholaris, ut plerumque accidebat, pertinent, sed ad religionem. Re vera colloquia non defecerant quae de his rebus tractarent. Sufficiat Petrum Mosellanum memorare qui in dialogo XX *Paedologiae* Martinum et Valerium de ieiunii violata religione et in dialogo XXIX Vitum et Severum de ieiunio et de confessione, quam auricolarem vocant, loquentes inducit.¹⁴

Praeterea in provincia protestantica non sunt neglegendi Guillelmus Gnapheus¹⁵ Nederlandicus magister qui *Acolastum*, Latinam fabulam de prodigo filio, scripserat quae anno 1529 a discipulis est acta, et Johannes Sapidus,¹⁶ Germanus humanista, Erasmi amicus, qui anno 1540 *Anabion Sacrum* drama de mortuorum resurrectione composuit.

Sed inceptum Castalionis unicum manet cum non tantum Sacrae Scripturae vestibulum¹⁷ quantum subtilior Veteris et Novi Testamenti cognitio sit¹⁸ bono Christiano necessaria, quam a discipulis cum lingua Latina parari debet. Quare Ferdinandus Buissonius recte contendit: «Dialogi sacri sunt moralis et civilis institutionis verum summarium parvae protestanticae rei publicae heroica aetate».¹⁹ Quod explicat fortunam qua usque ad saeculum XVIII gavisus sunt.²⁰

Nunc tempus est dialogos primi libri²¹ recensere, quibus oratio mea definietur. Is liber e XXXII dialogis constat a *Genesi*, *Exodo*, *Numeris*, *Iosue*, *Iudicibus*, *Ruth* sumptis, quorum librorum Castalio textus ad animos movendos aptos eligit, lubricis et violentis exclusis. Dimidia pars eorum est ex Hebraico Latina versio ad verbum, dimidia pars locos paululum variatos praebet, omnes narrationes dialogis mutantur.

¹⁰ Johannes Sturm (1507-1589) protestanticae institutionis auctor scriptum *De ludis litterariis recte aperiendis* composuit. (Cfr. LUIGI MIRAGLIA, *op. mem.*, p. 202)

¹¹ Maturinus Corderius (Mathurin Cordier 1497-1564) in Studiorum Universitate Parisiensi grammaticae magister, evangelicus factus, anno 1530 *De corrupti sermonis emendatione libellum* vulgavit, et *Colloquia scholastica*, magni usus docendi fructum, quae tantum anno 1564 sunt edita.

¹² Religiosa catholica communitas c. n. *Fratres Vitae Communis*, a Nederlandico Gerardo (Geert) Groote (1340-1384) condita est.

¹³ Cfr. FRANZ BIERLAIRE, *op. mem.*, p. 204, qui affirmat saeculo XVI ineunte in primo collegio humanistico Leodiensi discipulos septem annorum Latine locutus esse, quattuordecim annorum oratione soluta scripsisse et versus fecisse, praesertim ubi *Fratres Vitae Communis* scholas moderarentur.

¹⁴ *Paedologia Petri Mosellani Protegensis in puerorum usum conscripta & aucta Dialogis XXXVII. Dialogi pueriles Christophori Hegendorphini XII lepidi aequae ac docti*, Moguntiae, excudebat Ivo Schoeffer anno MDLI. Editio est sine numerorum ordinis notatione.

¹⁵ Wilhelm van de Voldesgraft (1493-1568).

¹⁶ Hans Witz (1490-1561).

¹⁷ Cfr. quid Marcella Derwa in opere memorato, p.191 de usu colloquiorum scholarium apud evangelicos et humanistas dixerit: «Un but second, mais non secondaire [...] faisant de *bonae litterae* l'antichambre obligatoire de la connaissance, de l'interprétation et de la diffusion de l'Écriture».

¹⁸ Inter multa opera ad Sanctas Litteras pertinentia a Castalione exarata eminent: *Jonas propheta*, *Praecursor*, *Mosis institutio rei publicae*, *Moses Latinus* (*Pentateuchi* versio), *Psalterii* versio, *Sanctarum Litterarum* versio Latina (anno 1551) et versio Francogallica (anno 1555).

¹⁹ «Les *Dialogues sacrés* sont le véritable manuel d'instruction morale et civique d'une petite république protestante à l'âge héroïque» (Sébastien Castellion. *Sa vie et son oeuvre*, mem., p.173.

²⁰ Praesertim apud populos linguam Germanicam loquentes, praeterea in Hungaria, in Britannia, in Nederlandia. Ferdinandus Buissonius CXXXIII editiones recenset.

²¹ Dialogorum primi libri non ante multos annos critica editio parata est, quam sequar: SÉBASTIEN CASTELLION, *Dialogues sacrés (premier livre)*, Edition critique par David Amherdt et Yves Giraud, Genève, Librairie Droz, 2004.

Auctor autem propositum suum clare dilucideque verbis explicat quibus opus Maturino Corderio dedicat. Postquam communia colloquia [in collegio de Rive] memoravit, quibus de docendi linguam Latinam ratione saepe sunt conquesti, Castalio declarat Ciceronem et Terentium, quamvis emendatam Latinitatem exhibeant, esse tironibus difficiliore et comoedias Terentii, in quibus meretrices, scortatores, lenones partes praecipuas agunt, etiam inhonestas turpesque. Quod remedium ad has condiciones invenerit in ultima parte, quam plane transcribo, explicat:

His ego de causis familiaria quaedam et iucunda colloquia de sacris Hebraeorum libris excerpseram et in Latinum sermonem converteram quibus discipulorum nostrorum et linguas Latinitate et animos bonis moribus eadem opera informarem. Quod quidem nostrum institutum cum et ego utile esse comperissem, et tu (cuius unius hac in re iudicium instar mihi universitatis doctorum est) te approbare dixisses, sumpsi animum et plura eiusdem notae colloquia desumpsi, quae in hoc libro Latine Galliceque exposui meo arbitrato. Qua quidem in re eam secutus sum rationem ut verbum fere de verbo redderem, quantum quidem per Latinam linguam licebat, et eo verborum ordine uterer qui a vernacula lingua minime discreparet. Id quod eo consilio feci ut neque in re tam angusta ubi sit religiose ingrediendum, nimiam licentiam videretur usurpare, et puerilis aetas, sacra hac et minime lubrica minimeque scopulosa via ad altiora quasi plano et aequo ascensu pedetemptim duceretur. Quod si cui minus elegans videbitur sermo, meminerit prius loquendum esse quam eleganter loquendum.²²

Itaque, Maturini Corderi auctoritate fretus, Castalio consilium capit Latinam linguam et bonos mores docere facillime quantum fieri potest, narrationibus e libris divinis conversis, lingua Latina simplici, quae ordinem linguae vernaculae sequatur, Francogallica interpretatione²³ instructis. Dicendum est etiam in primo libro nonnullos dialogos, cum sint longiores, discipulis satis provectis aptiores esse videri. Quare simpliciores sumpsi, quos eis ad verbum ediscere facilius sit et etiam in theatro agere. Procul dubio etiam hodierni discentes se valde delectent si Serpentis, Adami, Evae, Iovae,²⁴ qui in prima paradisi scaena apparent,²⁵ vestem induere possint.

Antequam ad exempla transeamus, ut bene quo animo hic et in ceteris dialogis ante *Libros Sanctos* Castalio se ponat intellegamus, est operae pretium spectare id quod in opusculo asseverat *De haereticis non puniendis* iam memorato, in capite *Sacrarum literarum perspicuitas et obscuritas* inscripto:

Sed ut tandem argumentum concludam, dico sacras literas esse partim apertas, partim obscuras: aperta sunt praecepta: non occidendum, non furandum, non falsum testimonium dicendum etc. Item bono pro malo reddendum, bene precandum imprecantibus, sequendum Christum per fidem, tollendam crucem, renunciandum cupiditatibus et induendum novam creaturam et cetera quae [...] plane sine figura aut ambagibus dicta sunt [...] Obscura sunt ea de quibus sunt controversiae.²⁶

Quare, theologicis disputationibus declinatis, cum tantum quod clarum est saluti sit necessarium, Christianismus est potius caritas et ratio rectae honestaeque vitae.²⁷ Agitur autem de habitu qui ad rationalismum videtur pervenire, quamvis fides in Deum omnipotentem constans firmaque

²² SÉBASTIEN CASTELLION, *Dialogues sacrés (Premier Livre, mem.)*, *Sebastianus Castalio Maturino Corderio S.*, pp.45-48: 46-47.

²³ Francogallica interpretatio tantum ad primum dialogorum librum pertinet et etiam in insequentibus editionibus huius libri abest, cum ad Francogallicos discipulos non attineat.

²⁴ 'Iova' est nomen a Castalione pro Deo adhibitum, de quo se excusat his verbis: «Quod autem Dei nomen Iova Hebraeum usurpavimus, quod nullum Dei proprium nomen Latine extat (nisi forte Iupiter et id, ut pollutum, omittamus) id etsi principio videbitur fortasse durius, tamen usu mollescet: & quod insuetum aures radet, idem usitatum demulcebit» (*Dialogorum sacrorum Liber Primus Auctore Sebastiano Castellione: qui opus recognovit: Argumenta singulis Dialogis praeposuit, & Sententias subiecit, ex quibus pueri discant officium; hoc est, quid imitandum sit, quid declinandum. Accesserunt recens eiusdem Sebastiani Castellionis marginales annotationes doctissimae*, Lugduni Batavorum, Ex Officina Ioannis Patij, Iurati & Ordinarij Academiae Typographi, anno 1620, *Sebastianus Castellio Christianis lectoribus s. d.*, p. 2).

²⁵ SÉBASTIEN CASTELLION, *Dialogues sacrés, (livre premier) op. mem.*, 1 **Adamus Gen.** 3 Serpens, Eva, Adamus, Iova, p. 52.

²⁶ SÉBASTIEN CASTELLION, *De l'impunité des Héretiques, De haereticis non puniendis*, Texte latin inédit publié par Bruno Becker, texte français inédit publié par M. Valkhoff, Genève, Librairie Droz, 1971, p. 69.

²⁷ Cfr. MASSIMO FIRPO, *opus mem.*, p. 91.

fundamentum maneat. Quae omnipotentia ostenditur in primo dialogo, quem Castalio ‘argumento’ constringit: «Serpens Evam & Eva porro Adamum impellit ad vescendum fructu vetito, Deus vero ipsos tres ad totidem poenas damnat». Hinc oritur ‘sententia’ quae praeceptum maximi momenti continet: «Ob unius hominis inobedientiam mors intravit in mundum. Disce puer obedientiam».²⁸

Sequitur brevissimus dialogus inter Iovam et Cainum post Abelem fratrem occisum a Deo detectum, qui eum damnat ut vagus per orbem terrarum erret, cum terra infesta ei colenti non amplius vim suam praebeat. Quod in animis discipulorum imprimi debet est non solum fratricidii poena certa, sed etiam in Caino culpae suae conscientia, qui mortem se mereri censet: «Mea culpa est maior quam ut possit remitti. En ego hodie exterminatus a te ex ipso solo terrarum errabo vagus per orbem terrarum, fugiens tuum conspectum, ita ut qui proximus invenerit me interficiat», et Iovae misericordia qui dicit: «Immo vero quicumque interfecerit Cainum subibit poenam septupli. Quare apponam tibi hanc notam, ne si quis inciderit in te perimat te».²⁹ Hae sententiae occasionem praebent ut aliquid dicamus de Castalionis Latinitate quod attinet ad verborum collocationem, quae linguae Francogallicae rationem sequitur. Sed verba Caini ostendunt etiam, quomodo grammatica doceatur; nam discipuli inducuntur ut enuntiatum consecutivum cum comparativo (‘mea culpa est maior ut’) sine difficultate in conexu animum valde movente discant.

Historia Abrami et Isaaci significat, quomodo homini qui credat, nihil nimis difficile et durum sit, et quomodo talem hominem procul dubio Deus remuneretur. Nam cum Abrahamus sit paratus unicum filium immolare, Genius (hoc modo angelus, Dei nuntius, appellatur) iubet: «Cave ne afferas manum puero, cave ne laedas. Iam enim mihi satis perspecta est tua religio et pietas, qui propter me non peperceris filio, eique unico».³⁰

Adhuc discipulis ancipites variique casus Iosephi, somniorum coniectoris, interioris cogitationis copiam dare possunt, quibus Castalio quattuor dialogos confert,³¹ Iosephum fratres invidi antea occidere volunt, deinde vendunt, postremo Pharaonis procuratorem factum inveniunt, cum ad cibaria sibi comparanda in Aegyptum redeunt. Considerationem in quartum dialogum *Iosephum agnitum*. intendamus. Fratres furti accusati auxilium ab Iosepho, cuius identitatem adhuc ignorant, petunt peccatum suum confitentes: «Deus patefecit peccatum nostrum»; Iuda, unus e fratribus, pro puero (Beniamimo) cuius sarcina patera surrepta inventa est, apud Iosephum servum se offert. Qui autem se aperiens, non se ulciscitur, sed concitata voce clamat: «O fratres mei, ego sum Iosephus [...] amplectimini me. Oh non contineo lachrimas. Ne angimini, neve dolete quod me vendideritis. Nam hoc totum profectum est a providentia Dei, qui voluit ut huc antevenirem [...]. Deus praemisit me in haec loca, quod sciebat vos esse venturos, ut esset qui servaret vos paternamque domum».³² Itaque quod accidit fuit pars consilii Dei, qui populum suum, in Aegyptum emigraturum, servare vult, quod annonae caritas tertium iam annum saeviens, per septem annos durabit.

Praecipue ad permovendum est idonea Mosis historia ab aquis servatus, *Moses expositus*, qui a Pharaonis filia inventus, ab Iocabeda matre lactari potest. Crudelitati pharaoni, qui iussit omnes Israeliticos pueros mares recentes natos necari, filiae misericordia opponitur cum cistam videt: «Ah miselle! Puer est vagiens! Miseret me eius: ex pueris Hebraeorum est [...]. Bonis auspiciis huc descendi. Habeo puerum quem curabo educandum pro meo. Nihil potuit accidere mihi optatius, neque vereor offendere meum patrem in re tam pia et humana. Ah scelus est iugulare partus recentes! Quam elegans est! Quam bene natus! Nonne flagitium est necare tales pueros?»³³

²⁸ Cfr. *Dialogorum sacrorum Liber Primus auctore Sebastiano Castellione, mem.*, Argumentum, p. 3, Sententia, p. 4.

²⁹ SÉBASTIEN CASTELLION, *Dialogues sacrés (Livre premier), op. mem.*, 2 **Cainus Gen.** 4 Iova, Cainus, p. 56.

³⁰ *Ibi*, 5 **Abrahamus Gen.** 22 Abramus, Isaacus, Genius, p. 82.

³¹ *Iosephus venditus, Iosephus capivus, Iosephus coniector, Iosephus agnitus.*

³² SÉBASTIEN CASTELLION, *Dialogues sacrés (Livre premier)*, 15 **Iosephus agnitus, Gen.** 44 Praefectus domus Iosephi, filii, Israelis Rubens, Iudas, Iosephus, p. 136 et p. 138.

³³ *Ibi*, 16 **Moses expositus, Exod.** 2 Iocabeda mater, Soror Mosis, Thermutis filia Pharaonis, ancilla, p. 140-142.

Paucis verbis, quod tempus fugit, memorare alios dialogos velim consideratu dignos. *Rachabbam*³⁴, ubi Deus ad populum suum servandum meretrice utitur, quae abditos apud se exploratores Israelitarum clam demittit; et *Iael*, ubi Deus rursus mulierem adhibet, quae Sisaram, Chananaeorum ducem fraude allectum, palo ad tempus affixo, occidit.³⁵ Castalionis sententia est «Turpi morte digni sunt qui Deo aut eius populo adversantur. Debilium manu vincit Deus fortes».³⁶ Tanta vis discipulorum animos turbare possit, sed agitur de Dei voluntate quae hominibus semper abdita et arcana manet.

Dixi.

Paola.Marongiu.fi@gmail.com

³⁴ *Ibi*, 23 *Rachabba Ios.* 2 Ministri regis Jerichonis, Rachabba, exploratores Hebraei, pp.174-176.

³⁵ *Ibi*, 26 *Iael Iud.* 4 Iael, Sisara, Baracus, pp.186-188.

³⁶ *Dialogorum sacrorum Liber Primus Auctore Sebastiano Castellione...*, mem., Sententia p.47.